# INFORMATIONES
## SPECULATIVÆ, ET PRACTICÆ,
DE
INGENIOSO, ET ARTIFICIALI
SCRUPORUM LUSU,
# SCHACH,
*Vulgo ſic nuncupato,*
AD METHODUM
## D. PHILIPPI STAMMA,
Natione Arabis, Magiſtri recentioris,
ſuccincto modo expoſitæ,
ET
ILLUSTRISSIMO
DOMINO, DOMINO
C. P. F.
*Patrono ſuo gratioſiſſimo*
Pro Novo Anno humillime
oblatæ
à
P. F. G.
EX
ATIosa ConCessIone, et InDVL-
tV sVperIorVM.

---

*VARADINI*, Impreſſum per Ignat Joan.
Bapt. Bálent, Epiſcopalem Typogr.

BIBLIOTECA ASTRA SIBIU
189

Biblioteca
ASTRA, Sibiu
*
12 P.C.N.
50
T1-800

# ...CUS AMICO.

...luſu, luſus non extitit unquam;
...uſu, & luſus in arte ſimul.
Regius eſt luſus, Perſarum id lingua profatur,
* Regis habet nomen, Regis in æde viget.
Scriptorum libris laudantur nomen, origo,
Author, ** quem Perſis mater amica dedit.
A multis ſæclis celebres numeravit amicos,
Inter quos Stamma eſt, pluribus arte prior.
Hujus præ reliquis medhodus ſimul arſque docendi
Valde mî placuit, nam brevis eſſe ſtudet.
Hinc ejus methodum Informatio noſtra tenebit;
Complectar paucis omne, quod artis erit.
Non ſtudui, mentem pulchris edicere verbis;
Omnis ut addiſcat, dicere mentis eram.
Jam: quis es? aut fautor luſus, aut noſter amicus?
Te precor, id preſtes, lector amice! mihi:
Si invenis errorem, ne rodas dente Theonis ***
Illum, ſed ſolus corrige; amicus eris.

---

* *Hæc vox Schach in Perſarum lingva Regem ſignificat.*

** *Schatrenſcha hujus Author luſus eſſe dicitur, de quo uberius dicetur in procemio ſequenti*

*** *Theon magnus Poeta erat, ſed in verſibus ſuis magnus ſimul etiam diffamator.*

# PROOEMIUM.

Quod ſi artes illæ ſcientiæ nomine veniunt, quæ in intellectu conſiſtunt; jure non immerito Artem bene Scrupos ludendi ſcientiam quoque apellavero. Hujus Inventor & Author, Philoſophus quidam, optimus Mathematicus, nomine Schatrenſcha, natione Perſa veroſimilius fuit; cum etiam ipſimet Perſæ, ut teſtatur Scriptor Hiſtoricus Timur Bec, huic Scruporum luſui nomen Schatrenſcha, ad laudem Inventoris tribuerint. Sitne hoc verum nec ne? parum mea intereſt, qui ſolum hanc artem, quam didici, etiam aliis communicare propoſui. Aſſumpſi igitur ingenioſam methodum Domini Philippi Stamma natione Arabis, quæ tam ratione brevitatis, quam Inventionis mihi plurimum placuit; Hæc quidem Methodus vel maxime quoad praxim intellectui ad initium difficilis videtur, ſed eam rite, & frequenter examinanti facile patebit.

# EX

## *Informationibus Speculativis.*

## INFORMATIO I.

### *De Luſu ſcruporum in ſe conſiderato.*

Luſus iſte certa quadam ratione Bello aſſimilari poteſt; nam ſtant in campo, qui in hoc luſu *abacus* eſt ( germanice *Schach*, vel *Damebret* ) duo quaſi exercitus parvi, certo ſuo ordine contra ſe invicem collocati; ſtruuntur ex utraque parte variæ inſidiæ; ſiunt aggreſſiones, fit conflictus, hoſtis hoſtem perſequitur; ucerque exercitus, paucis ut multa complectar, pro gloria & Corona Regis ſui fortiter pugnat, & Triumphi palmam reportare conatur. Quod maximum eſt, Regina ipſa utriusque Exercitus arma capit, hoſtem forti animo aggreditur, ipſumque abaco vincere omnibus viribus nititur. Attamen Victoria hæc, ſeu finis luſus tunc primum erit, quando ſcilicet duorum Regum alteruter ab hoſte ita fuerit conſtrictus, ut ſtructas ſibi inſidias amplius effugere, & greſſum ulteriorem in abaco formare nequierit. Uterque Exercitus, quorum unus *albi*, alter vero *nigri* coloris ſignum, & nomen diſtinctivum habet, conſiſtit e 16. *Scrupis*, vulgo calculis, de quibus nunc in ſequenti informatione nobis agendum erit. ſit itaque:

IN-

# INFORMATIO. II.

*De Diviſione, & Nominibus Scruporum.*

Prædicti 16. Scrupi utriusque exercitus in communes, ſingulares, & Principales dividuntur. *Communes* ſunt 8. qui *milites* gregarii, univerſaliter autem *Piones* vocantur. *Singulares* 6. ſunt, qui Officialium vices gerunt, diverſaque nomina ſortiuntur; duo enim ex his *Turres*, duo: *Cavalli*, & duo: *Curſores* nuncupantur. Tandem *Principales* ſolummodo duo ſunt, *Rex* ſcilicet, & *Regina*, a qua Rex per 3. Coronas diſtinguitur, Regina duabus tantum gaudente.

# INFORMATIO. III.

*De Poſitione Scruporum in Abaco.*

Ipſa poſitio uniuſcujusque ſcrupi ex immediate ſequenti tabula, quæ ipſum Abacum repræſentat, facillime colligi, atque percipi poteſt. Interim obſervandum I *mo*, quod ipſe abacus ſemper ſic dirigi debeat, ut Regina *alba* ad ſiniſtram Regis ſui, Regina vero *nigra* ad dexteram ſui Regis veniat; ideoque obſervandum II *do*, quod utraque Regina quoad locum, quem inhabitat, proprium colorem ſervet, juxta illud Poëtæ: *ſervat Regina colorem*, id eſt: Re-

gina alba ponitur in loco Abaci *albo*, & Regina nigra in loco *nigro* ſibi determinato. Inſpice nunc ipſum abacum formatum, qui ſequitur, & reperies determinatum uniuſcujusque ſcrupi locum.

## *Tabula Prima.*

Repræſentans abacum, & exhibens ſingulorum Scruporum loca propria.

| *Loca Scruporum nigrorum.* | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Turris I. | Cavallus I. | Curſor I. | Regina nigra | Rex niger | Curſor II. | Cavallus II. | Turris II. |
| pion. | pion. | pion. | pion. | pion. | pion. | pion. | pion. |
| | | | | | | | |
| | | | | | | | |
| | | | | | | | |
| | | | | | | | |
| pion. | pion. | pion | pion. | pion. | pion. | pion. | pion. |
| Turris I. | Cavallus I. | Curſor I. | Regina alba | Rex albus | Curſor II. | Caval. lus II. | Turris II. |

*Loca Scruporum alborum.*

IN·

# INFORMATIO IV.

## *De formatione greſſuum uniuscujusque Scrupi in communi.*

Percepta ac rite intellecta Scruporum poſitione, uniuscujusque greſſum nunc ſcire oportet, de ſingulis hic ſingillatim dicam. 1*mo*:

### *De Pionibus.*

Pionum quilibet ex loco ſuo duos ad ſemel greſſus facere poteſt, ſi non impeditus ſit; ſecus autem ſi impeditus ſit, vel jam locum ſuum proprium deſeruerit, tunc enim unus tantum greſſus conceditur ei. Greſſus autem pionum duplices ſunt, *recti*, & *obliqui*. Greſſum rectum quilibet pion non impeditus facere poteſt, greſſum autem obliquum pion tunc tantum formare poterit, quando Scrupus quidam adverſarius eidem immediate & oblique *NB.* adverſatur, & ejusdem locum occupare velit; & tunc tali Scrupo adverſario ablato ad ejusdem locum ſe reponit. Ceterum pionibus greſſum retro facere nunquam licitum eſt; hæc enim licentia officiales ſolummodo concernit, qua tamen etiam Rex & Regina, ſi nullus obex fuerit, per ſe gaudent.

## De Officialibus.

Officiales, ut ſuperius audivimus, 6. ſunt; duæ ſcilicet *Turres*, duo *Cavalli*, & duo *Curſores*. Jam ſicut nomina ipſorum diſtincta ſunt, ita etiam diverſi ſunt greſſus eorum. *Turres* ad omnes partes ire poſſunt, ante & retro, ad dexteram, & ad ſiniſtram, rectis tamen ſemper greſſibus, & quousque nullum impedimentum inveniant; auferunt etiam Scrupos adverſarios, ſi quos absque damno aufferre poſſint, ac velint.

*Curſores* alios greſſus formant; hi enim nunquam recta, ſed ſemper obliqua via incedunt, & redeunt; & quidem cum hac diſtinctione, quod Curſor ille, qui in loco albo exiſtit, via tantum alba, alter vero, qui in loco nigro poſitus eſt, via ſolum nigra obliqua incedere, atque redire queat. Ceterum aufferunt etiam, ſicuti Turres, ſi &c. &c.

*Cavalli* tandem Via, & modo a prioribus longe diverſo incedunt, & greſſus eorum neque *recti*, neque *obliqui* proprie dici poſſunt; ſed potius *ſaltus indirecti* appellandi ſunt. Saltant enim indirecte ex uno loco per 2*dum* ad aliquem 3*tium*. & ex hoc per alium 2*dum* ad alterum 3*tium*, & eodem

mo-

modo reſaltare poſſunt. Hic autem obſervandum eſt, quod, ſi locus, ex quo Cavallus ſaltat, fuerit albus, locus ergo tertius, ad quem ſaltat, niger eſſe debet, & econtra, ſi locus, ex quo ſaltat, fuerit niger, locus 3*tius*, ad quem ſaltare intendit, albus ſit, neceſſe eſt. Ceterum Cavallus in loco tantum 3*tio*, ad quem ſaltare intendit, quidquid reperit, aufferre poteſt.

## *De Regina.*

Magna eſt potentia Reginæ. Hæc enim greſſus liberrimos facere poteſt, tam rectos, quam obliquos, ſive ab ante, ſive retro, tam ad partem dexteram, quam ad ſiniſtram, dummodo nullum ſe eidem obſtaculum præbeat. Hæc in luſu Scrupus potentiſſimus eſt, utpote: quæ maximas in hoſtem aggreſſiones moliri, & de eo victoriam reportare poteſt. Hæc etiam ſola cum auxilio unius tantum Officialis, vel etiam unius tantum pionis Regem adverſarium abaco vincere valet, id quod nullus Officialium poteſt.

## *De Rege.*

Rex frequentes, & plures uno greſſus ad ſemel formare non ſolet, ne ſe ipſum periculo Invaſionis exponat. Quod ſi ho-

tis ipſum invadat, isque a ſuis non amplius defendi poſſit, tunc ad alium proximiorem locum ſe conferre poterit, unum tamen greſſum ſolummodo formando, ut ordinatio luſus hujus exigit. Si autem Rex a ſuis adhuc defendi, ac protegi queat, non neceſſe eſt, ut ad alium locum ſe conferat, ſed committat protectionem, & defenſionem ſui ſuo exercitui.

Ludens ergo ſemper attendas, ne Rex tuus absque protectione, & defenſione maneat, ſed ſemper aliquos officiales reſerves, qui eundem contra hoſtis invaſionem tueantur. Interim piones nonnunquam magis, quam ipſi officiales Regem tuum protegere, atque defendere poterunt.

## INFORMATIO. V.

*De Exceptione greſſuum unius, vel alterius Scrupi in particulari.*

Audivimus ſuperius pag. 7, quod quilibet pionum ex loco ſuo duos ad ſemel greſſus facere poſſit, ſed Recentiores excipiunt, & merito excipiunt dicentes: pionem tunc nequaquam duos ad ſemel greſſus facere poſſe, ſi Scrupus quidam Adverſarius primo illius greſſui formando oblique jam adverſaretur, quia ſtat in poteſtate, & voluntate Scrupi

ad-

adverſarii, an eidem tranſitum penes ſe concedat, nec ne, cum pionem in tranſitu auferre, & ejusdem locum occupare poſſit. Exemplum hujus dabo infra in praxi pag. 36.

IIdo. Audivimus etiam, quo modo, & qua via tam Regina, quam officiales, & piones procedant, & auferant, quidquid abſque damno auferre poſſint, ac velint. Sed excipitur hic Caſus, quo occurrente nullus omnium prædictorum Scruporum aliquem greſſum formare, vel aliquem Scrupum adverſarium aufferre poteſt, quando ſcilicet per motum, & greſſum talis Scrupi ipſemet Rex protectione ſua propria deſtitueretur, & invaſioni paſſivæ nudus, ſeu apertus exponeretur. Exemplum in praxi pag. 40. clarius tibi hoc demonſtrabit. Videamus ergo nunc, quale ſit privilegium unius, vel alterius pionis in certis locis Abaci.

## INFORMATIO. VI.

*De Privilegio Pionum in certis locis Abaci.*

Siquis pionum tam egregie ſe geſſit, ut in ultima hoſtis acie, in qua Rex adverſarius. Regina, & Officiales eſſe ſolent, aliquem locum occupaverit, privilegio tunc gaudet, aliquem Regis ſui Officialem, qui

in

in luſu jam periit, repetendi. Si vero Regina jam periviſſet, & pion Regis adverſarii, vel Reginæ adverſariæ locum occupaſſet, tunc etiam pro pione ipſa Regina reſtitui debet, ſecus autem, ſi tantum alicujus Officialis locum occupavit Regina poſtea vel Officialis, qui pro tali pione prælaudato reſtituitur, ad ipſum locum, quem ipſe pion occupaverat, reponi debet. Quodſi vero nullus plane Officialium, nec etiam Regina periviſſet, tunc talis pion utique privilegio ſuo tantum pro futuris contingentibus interim contentus eſſe debet, nulloque officio fungi poterit; & ſi ab aliquo Scrupo adverſario interim aufferatur, totum privilegium ceſſat.

## INFORMATIO. VII.

### *De Virtutibus, ſeu Activitatibus Officialium.*

Nulla eſt activitas *Turrium* in exordio luſus, exigua in medio, magna autem circa finem, cum ipſis apertus campus datur; tunc enim ad omnes partes ire, ubique Scrupos indefenſos aufferre, Regem adverſarium invadere, & eundem etiam absque auxilio Reginæ, vel alterius Officialis facile abaco vincere poſſunt, ideoque etiam circa finem luſus ceteris Officialibus longe præſtantiores ſunt. *Cur-*

*Curſores* in exordio, & per medium luſus majorem activitatem, & virtutem, quam ipſæ Turres exercere queunt, non tamen tantam circa finem, quantam illæ, cum ad omnes partes ire nequeant. Poſſunt quidem duo etiam Curſores abſque concurſu Reginæ, vel alterius officialis Regem adverſarium abaco vincere, ſed modo difficiliori, & nonniſi mediante, atque concurrente Rege proprio.

*Cavalli tandem* ad initium & per medium luſus maximam activitatem habent, cum ubique liberum campum inveniant, magnam etiam virtutem circa finem adhuc exercere poſſunt, non tamen ſoli abſque concurſu Reginæ, vel aliorum officialium adjutorio Regem adverſarium abaco vincere, valent, etiamſi ipſorum Rex concurrat, atque ipſemet proprias manus auxiliares præbeat.

## INFORMATIO. VIII.

*De Jure, & poteſtate Regis duos ad ſemel greſſus formandi, & locum proprium commutandi cum alio.*

Quodſi Regi locus proprius, in quo reſidere ſolet, non ita tutus videatur, vel ſaltem eundem non amplius inhabitare velit, tunc proprium ſuum locum cum alio com-

commutare, & duos ad ſemel greſſus facere poteſt; Hæc autem commutatio loci, quæ unica vice tantum Regi conceditur, ſequenti modo fieri ſolet: ſi Rex verſus Turrim, quæ ad partem Reginæ habetur, commutationem loci intendit, tunc locus Curſoris a Rege occupatur, & turris penes ipſum ad locum Reginæ trasfertur; ſi autem Rex verſus alteram Turrim, quæ ex parte ipſius eſt, prædictam commutationem facere velit, tunc locum Cavalli occupat, & Turris penes ipſum ad locum Curſoris transferetur. *Verum* quinque ſunt circumſtantiæ, quæ hanc commutationem impediunt.

1 *ma.* Si Rex jam ſemel ab adverſario, vel proprium ſuum locum deſerere coactus fuit, vel eundem ſponte ſua jam ſemel deſeruit.

2 *da.* Si Regem inter & Turrim, ad quam verſus commutationem intendit, aliquis Scrupus ſive proprius, ſive adverſarius exiſtat.

3 *tia.* Si *Schach* Regi ab adverſario actu dicatur.

4 *ta.* Si Turris, verſus quam commutationem facere velit, jam ſemel e loco diſceſſit.

5 *ta.*

5*ta.* Si tandem adverſarius loco, quocum Rex commutationem intendit, vel loco, per quem tranſire deberet, actu inſidiatur. Una ex his circumſtantia ſe offerente, prærecenſita commutatio fieri non poteſt.

# INFORMATIO IX.

## *De Invaſione Regis, & Reginæ.*

Invaſio Regis, vel Reginæ per proprium hujus Luſus nomen *Schach* exprimitur & indicatur, & quotieſcunque quis Regem, vel Reginam invadit, per hoc nomen, & vocabulum: *Schach* colludentem admonere debet. Triplici autem modo *Schach* regi dicitur, 1*mo* per oppoſitionem adverſarii in via recta, 2*do* per oppoſitionem in via obliqua, 3*tio* per ſaltum indirectum. *Regina* 1*mo* & 2*do* modo Regem invadere & eidem Schach dicere poteſt, idque ex omni parte, ſive ab ante, ſive retro, ſive a parte dextera, ſive ſiniſtra, ſi inter Regem, & Reginam nullus alter Scrupus intercedat.

*Turres* 1*mo* tantum modo id eſt, per oppoſitionem in via recta Regi Schach

di-

dicunt, ſed tamen ex omni etiam parte, ut Regina.

*Curſores* econtra 2*do* tantum modo Regem invadunt, id eſt per oppoſitionem in via tantum obliqua (vel alba, vel nigra) ab ante, & etiam retro; hoc 2*do* modo etiam *Piones* Schach Regi dicunt, ſed tunc ſolum, quando aliquis eorum immediate Regi in via obliqua oppoſitus ſit, & ipſum oblique tangere quaſi videatur.

*Cavalli* ſolum per ſaltum indirectum Regem invadunt, & eidem in 3*tio* loco, ad quem per ſaltum indirectum devenire poſſunt, exiſtenti Schach dicunt. Rex autem toties, quoties Cavallus eundem invadit, ad alium locum ſe conferre debet, quia alias in eadem invaſione actuali permaneret.

*Quotieſcunque* igitur tribus modis prædictis Regi ab adverſario quodam Scrupo Schach dicitur, Rex in periculo verſatur, atque vel a ſuis, ſi poteſt, defendi, & a periculo liberari debet, vel ipſemet locum ſuum deſerere, aliumque proximiorem occupare neceſſitatur.

*Schach* triplici modo hic declarato etiam Reginæ dicitur, & nonnunquam invaſio

ſio ipſius maxime neceſſaria eſt; continuæ tamen ipſius Invaſiones, & perſecutiones, quæ abſque neceſſitate fiunt, non approbantur; non enim Regina, ſed Rex abaco vinci debet.

*Ceterum* Rex Regi Schach dicere nequit; & ſi contingat, quod Reges ſibi invicem approximent, duobus ſemper greſſibus ab invicem remoti ſint neceſſe eſt; nam alias, ſi Regum alteruter per frequentes invaſiones & perſecutiones jam ita conſtructus ſit, ut ad nullum alium locum amplius ſe conferre poſſit, quam ad immediatum proximum locum Regis alterius, tunc jam Rex in tali caſu abaco victus, & ſimul finis luſus eſt. His bene perceptis ipſam artem ſeu modum, quo quis Scrupos bene ludere poſſit, breviter audiamus.

## INFORMATIO X.

### *De arte ſeu modo Scrupos bene ludendi.*

Modus, quo quis hunc Scruporum luſum in praxi bene ludat, certus atque determinatus præſcribi quidem nequit, cum iſte a voluntate, & variis conceptibus ludentium dependeat. Attamen, ut quis hunc Scruporum luſum melius ac melius addiſ-

cere, & in eodem ſe perficere queat, ſæpius & frequentius eundem ludat neceſſe eſt.

Peritus atque prudens Bellidux non tantum ſe & ſuos in conflictu defendere ſolet, ſed etiam hoſti ex omni parte inſidiatur, eundem forti animo aggreditur, & de eodem victoriam reportare omnibus viribus nititur. Hunc itaque belli ducem in hoc luſu, qui Bello ut audiviſti, merito aſſimilatur, imitari, ejusque prudentiam obſervare debes. Ubi quidem advertes, proprio tuo Regi periculum imminere, ibi eundem ſtrenue defendas; ſi vero nullum ei periculum immineat, tunc tempus & occaſionem non negligas, ſed per varias inſidias, per frequentes invaſiones, perque perſecutiones continuas Regem adverſarium abaco vincere & eidem Victoriæ palmam erripere ſtudeas.

## INFORMATIO. XI.

*De uno, alteroque abuſu ex parte ludentium.*

Plerique luſum inchoantes duos ad ſemel Scrupos promovere, ſicque duabus vicibus poſt invicem ludere ſolent; exponunt e: g: ad ſemel duos piones, vel

unum

unum pionem, & ſimul officialem unum, vel plane ut ipſemet vidi, duos officiales, ſcilicet utrumque Cavallum; Verum hæc conſvetudo merito abuſus dici poteſt, cum nullum Luſuum genus exiſtat, in quo non alternatim unus poſt alium ludat. Recentiores ergo volunt, & luſus ordo etiam exigit, ut ex utraque parte greſſus alternatim fiant, & primus, qui ludit, cum uno tantum Scrupo, & quidem cum uno pione luſum inchoet.

Abuſus etiam conſvetudo illa merito dicitur, & optime Recentiores contra illam exipiunt, quod plerique jus commutationis magis & ultro extendere ſoleant, quam in ſe deberet; *commutatio locorum* (ut audivimus pag: 14.) in hoc conſiſtit, quod Rex una vice duos ad ſemeſ greſſus facere, & proprium ſuum locum cum alio commutare poſſit, in quo caſu Turris alterutra penes ipſum collocatur, ſed quidam præter hunc commutationis modum, cum pione etiam adhuc greſſum facere ſolent, id quod nulli omnino concedendum eſt.

# INFORMATIO XII.

*De certis quibusdam Luſus Obſervationibus*

*I.* Cum certa intentione tibi ſemper ludendum eſt, ut uniuſcujusque greſſus, quem facere intendis, cauſam & rationem ſcias; qui enim aliquem Scrupům ludit, & cauſam neſcit, cur eundem ita luſerit, Belliduci merito aſſimilandus eſt, qui actus militares quidem exercet, ipſius tamen exercitii in ſe, & militiæ notitiam exiguam habet. *II.* Attenta etiam mente prius deliberare debes, antequam aliquem Scrupum tangas, & cum eodem greſſum formes; qui enim certum aliquem Scrupum e loco ſuo levavit, vel eundem jam luſit, non amplins ergo eum ad locum priorem, ſi adverſarius ita velit, ac prohibeat, reponere poteſt. *III.* Scrupos tuos ſemper defenſos habere ſtudeas, ne gratis Officialem vel etiam unum tantum pionem perdas. *IV.* Non omnem etiam adverſarium Scrupum ſemper auferas, qui tibi indefenſus eſſe videtur, nam ſubinde adverſarius ſtudio & ſponte libera unum vel alium Scrupum tibi gratis concedit, & immolat, ut intentum ſuum conſequatur, atque occaſio-

nem

nem nanciſcatur, Regem tuum invadendi atque abaco vincendi. *V*. Ad omnem tandem adverſarii greſſum, ſeu Scrupi tractum bene tibi attendendum eſt, ne Rex tuus ex inconſideratione, & culpa tua propria abaco vincatur; ſis itaque cautus, in omnibus vigila, & labora, ut non vincaris, ſed victor evadas.

*Finis Informationum Speculativarum.*

# INFORMATIONES PRACTICÆ.

## *PRÆNOTANDUM*

Per informationem practicam in præſenti nihil aliud intelligitur, quam ipſe luſus actualis, juxta tenorem præcedentium informationum Speculativarum formatus. Ut autem quis has informationes practicas, ſeu ipſos luſus actuales, qui hic ad methodum D. Philippi Stamma literis tantum alphabeticis, & numeris arithmeticis exponentur, percipere poſſit, ſequentia bene obſervanda, atque memoriæ commendanda ſunt.

*Imo.* Aſſumuntur 8. hæ literæ majores: A. B. C. D. E. F. G. H. Harum quælibet certum quemdam & diſtinctum Officialem, vel vero Reginam, aut ipſum Regem denotat, & hoc quidem tam ex parte Scruporum alborum quam nigrorum. Inſpice igitur hic immediate ſequentem tabulam, & conſpicies literam A. tam ſupra Turrim primam nigram, quam infra Turrim primam albam eſſe poſitam; Hæc ergo litera A. in praxi formata denotat vel Turrim primam *albam*, vel *nigram*; Harum autem clara diſtinctio per aliud adhuc ſignum exponetur ut ſtatim infra dicetur. Reliquæ prærecenſitarum literarum ſignificationes ex tabula nunc ſequenti colligi poſſunt.

*Ta-*

# *Tabula* II.

Repræſentans abacum, & exhibens pro praxi poſitionem Scruporum certis literis ſignificativis.

*Poſitio Scruporum Nigrorum.*

| | A. | B. | C. | D. | E. | F. | G. | H. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | Tur ris I. | Ca- val. I. | Cur ſor. I. | Reg. ni- gra | Rex ni- ger | Cur ſor II. | Ca- val. II. | Tur ris II. |
| 7 | p. | p. | p. | p. | p. | p. | p. | p |
| 6 | | | | | | | | |
| 5. | | | | | | | | |
| 4. | | | | | | | | |
| 3. | | | | | | | | |
| 2. | p. | p. | p. | p. | p. | p. | p. | p. |
| 1. | Tur ris I. | Ca- val. I. | Cur ſor I. | Reg. al- ba | Rex al- bus | Cur- ſor II. | Ca- val II. | Tur ris II. |

A. B. C. D. E. F. G. H.

*Poſitio Scruporum Alborum.*

NB.

*NB.* Quemadmodum Tabula hic poſitionem Scruporum exhibet, ita pro praxi, ſeu pro ſequentibus informationibus practicis Scrupos in abaco colloca, & pro tua quidem parte Scrupos albos, pro adverſa vero nigros.

*II do.* Aſſumitur litera minor: p. quæ toties quoties poſita *pionem* donotat; cum vero Rex & Regina, ac quilibet officialis proprium ſuum *pionem* habeant, ideo *piones* abhis certam denominationem participant; pion itaque, qui in abaco directe ante Regem exiſtit, *pion Regis* nominatur, & in informationibus noſtris practicis, literis ſuis ſignificativis exponitur *p. E.* quia litera minor p. ſignificat *pionem* & litera E. dat ipſi denominationem ſui, ideſt, *Regis.* Pari modo pion, qui directe ante Reginam habetur, *pion Reginæ* vocatur, & his literis exponitur: *p. D.* quia litera D. Reginam denotat, cujus ipſe pion eſt. Id ipſum cum ceteris etiam pionibus obſervandum eſt.

*III tio.* Aſſumuntur 8. ſequentes numeri Arithmetici: 1. 2. 3. 4 5. 6. 7. 8. pro deſignatione determinatorum 8. lo. corum, quæ quilibet officialis, uti etiam

Rex

Rex & Regina, in abaco diſtincta habet. Sic e: g. tam Rex albus in aſcenſu per viam rectam, quam Rex niger in deſcenſu per eandem viam rectam 8. loca determinata habet. Hæc autem deſignatio locorum hic maxime attendenda eſt; nam quamvis Rex niger, ut hic audiviſti; Regina atque quilibet officialis *coloris nigri*, 8. ejuſmodi loca determinata habeat; nunquam tamen ab his deſignatio & aſſignatio locorum determinatorum, ſed ſemper vel a Rege, vel a Regina, vel ab aliquo officiali *coloris NB albi* in Informationibus noſtris practicis deſumi debet; ſive deinde Scrupus aliquis albus, ſive Scrupus niger greſſum formaturus ſit. Clarius idipſum infra pag. 28. declarabitur.

*IV to*. Aſſumuntur tandem adhuc ſequentia ſigna. I. Signum Solis ☉, & Signum Lunæ ●. Signum itaque ſolis toties quoties poſitum denotat greſſum a Scrupo albo formandum; ſignum econtra lunæ ſignificat greſſum a Scrupo nigro faciendum.

II. Signum Crucis parvæ ✠, quæ toties, quoties formata indicat actualem invaſionem Regis vel Reginæ.

III. Signum tandem Notaminis *NB*, per quod ſemper certa aliqua obſervatio intimatur.

His itaque præmiſſis pro clariori intelligentia & exempli cauſa nunc aſſumo exordium Informationis 1*mæ* videlicet practicæ, pag. 32. infra expoſitæ, illudque hic formatum explico. Appone Scrupos in abaco & juxta explicationem unumquemque forma greſſum.

## *EXORDIUM.*

*Scrupus albus incipit.*

| | |
|---|---|
| ⊙ | p. E. 3. |
| ● | p. E. 5. |
| ⊙ | D. F. 3. |
| ● | p. D. 6. |
| ⊙ | F. C. 4. |
| ● | G. F. 6. NB. |

| | | |
|---|---|---|
| ⊙ | F. B. 5. | + |
| ● | p. C. 6. | - |
| ⊙ | F. A. 4. | - |
| ● | C. G. 4. | ✠ |
| ⊙ | D. G. 3. | - |
| ● | D. A. 5. | - |
| | &c. | |

## *EXPLICATIO.*

Prima itaque exordii hic formati poſitio hæc fuit: ⊙ p. E. 3. nunc obſerva igi-igi-ur. Per *ſignum* ⊙, ut audiviſti, ſignificatur greſſus a Scrupo albo formandus; - - *litera minor* p. denotat pionem, ergo jam ſcis, quod pion albus greſſum formare debeat; cum autem nondum ſcias, qualis pion ille ſit, ideo ponitur p. E. id eſt *pion Regis*, quia litera E. Regem indicat; -- additur tamen *numerus* 3. qui locum determinatum ſignificat, quo prædictus pion poni debeat; ex loco itaque primo Regis albi numera usque ad locum ipſius tertium, & ibidem repone pionem; ſenſus ergo hujus poſitionis eſt: *pion Regis albi ponatur ad locum Regis ſui tertium*; ubi advertes, quod hic pion ex lo-

co

co ſuo unum tantum greſſum recta via formet.

*Secunda poſitio fuit:* ● p. E. 5. ſignum Lunæ ergo ut pariter audiviſti, denotat greſſum a Scrupo nigro formandum. Per literam minorem p. & majorem E. ſignificatur *Pion Regis*, per numerum 5. determinatur & aſſignatur locus quintus Regis, ergo hujus poſitionis ſenſus eſt: *pion Regis nigri ponatur ad locum Regis quintum.* Hic autem nunc bene obſerva, quod ſuperius pag. 25. audiveras; dixi enim, quod *deſignatio locorum & determinatio greſſuum in informationibus noſtris practicis ſemper vel ab aliquo officiali, vel a Regina, vel a Rege coloris NB. albi, nunquam vero nigri deſumi debeat, ſive dein Scrupus albus, ſive Scrupus niger greſſum fomaturus ſit;* in ſecunda igitur poſitione hic explicata pion Regis nigri non ad quintum locum ipſius Regis *nigri*, ſed *albi*, a quo determinatio loci prædicti deſumitur, ponendus eſt; numera itaque ex loco primo Regis albi usque ad locum ipſius quintum & ibidem repone prædictum pionem nigrum, ubi advertes, quod hic pion ex loco ſuo duos ad ſemel greſſus formet. In omnibus itaque greſſibus Scruporum nigrorum hoc ipſum in futurum bene etiam obſerves.

Ter-

*Tertia poſitio fuit:* ⊙ D. F. 3. obſerva itaque quæ hucuſque dicta ſunt, & facile hanc methodum percipies; hujus autem poſitionis ſenſus eſt: Regina coloris albi ponatur ad Curſoris ſecundi, qui per literam F. denotatur, locum tertium. -- Numera itaque ex loco primo prædicti Curſoris albo usque ad locum tertium ipſius, & ibidem colloca Reginam.

*Poſitio* 4 *ta* fuerat: ● p. D. 6. numera ergo ex primo loco Reginæ albæ usque adlocum ipſius ſextum, & repone ibidem pionem nigrum D. id eſt, pionem Reginæ nigræ.

*Poſitio* 5 *ta erat:* ⊙ F. C. 4. fac igitur pariter ſic; numera ex primo loco Curſoris albi. I. usque ad quartum locum ipſius, & ibidem pone Curſorem ſecundum, qui per literam F. denotatur.

*Poſitio* 6 *ta*, quæ fuit: ● G. F. 6. *NB.* bene obſervenda eſt, ideoque etiam ſignum notaminis *NB.* apponitur; nam per priorem poſitionem quintam Rex niger in periculo conſtituitur, ne abaco vincatur, (quod utique contingeret, ſi Regina alba pionem Curſoris nigri F. auſſerendo Regem nigrum invaderet;) ponitur itaque Ca-

val-

vallus niger G. ad locum 6tum determinatum Curſoris albi ſecundi, per quam poſitionem Regina alba impeditur, ne Regem nigrum invadere, & eundem abaco vincere queat. Interim alio modo, ſeu ab aliquo alio etiam Scrupo Reginæ albæ impedimentum fieri potuiſſet; verum potior atque melior poſitio hæc mihi videtur: ● G. F. 6.

*Poſitio* 7 *ma* hæc fuit: ⊙ F. B. 5. ✠ hoc itaque ſignum parvæ Crucis adjectum denotat actualem invaſionem Regis nigri; nam albus Curſor ſecundus in loco quinto Cavalli primi albi poſitus Regi nigro per oppoſitionem in via obliqua adverſatur, ideoque eidem Schach dicit. De oppoſitione in via obliqua vide pag. 15.

*Poſitio* 8 *va* fuerat: ● p. C. 6. pion ergo Curſoris nigri C. in loco ſexto Curſoris albi primi C. poſitus defendit Regem, & Curſorem album, qui Regem invaſerat, a priori loco abire cogit & repellit.

In 9 *na igitur expoſitione*, ⊙ F. A. 4. Curſor albus ſecundus recedit ad locum quartum Turris I.

*Po-*

*Poſitio* 10 *ma:* ● C. G. 4. ✠. intimat invaſionem Reginæ albæ a nigro Curſore C. in loco quarto Cavalli albi ſecundi G. Factam.

In *Poſitione* 11 *ma:* ⊙ D. G. 3. Regina alba recedit ex loco, in quo ipſi Schach dictum erat, ad locum tertium Cavalli albi ſecundi G.

In *Poſitione tandem* 12 *ma*, quæ fuit: ● D. A. 5. Regina nigra ſe confert ad locum quintum Turris albæ primæ A

His itaque bene intellectis aſſume nunc reliquas ſequentis Informationis primæ poſitiones; forma unumquemque Scruporum greſſum juxta hanc methodum expoſitum, examina modum invaſionis, conſidera modum defenſionis; attenta mente perpende notamina ibidem expoſita; uno verbo: attende ad omnia, & diſce juxta hanc methodum ludendo, quomodo & tu in futurum ludere debeas.

# *EX INFORMATIONIBUS PRACTICIS*

## INFORMATIO I.

*Inqua præter alias obſervationes illa vel maxima exhibetur, quod non omnis Scrupu adverſarius, qui indefenſus eſſe videtur, ſemper aufferri debeat, ut ſupra de hoc audivimus* pag. 20.

| *Exordium a Scrupo albo.* | | | *Continuatio.* | | |
|---|---|---|---|---|---|
| ⊙ | p. E. 2. | — | ⊙ | p. C. 4. | |
| ● | p. E. 5. | — | ● | p. B. 4. NB. | 3io |
| ⊙ | D. F. 3. | — | ⊙ | B. C. 2. | — |
| ● | p. D. 6. | — | ● | G. E. 4. | — |
| ⊙ | F. C. 4. | — | ⊙ | p. F. 3. | — |
| ● | G. F. 6. NB1. | — | ● | G. C. 5. | — |
| ⊙ | F. B. 5. | ✠ | ⊙ | p. A. 3. | — |
| ● | p. C. 6. | — | ● | G. D. 3. | ✠ |
| ⊙ | F. A. 4. | — | ⊙ | E. D. 1. | — |
| ● | C. G. 4. NB 2. | ✠ | ● | D. B 6. NB | 4to |
| ⊙ | D. G. 3 | — | ⊙ | p. E. 4. | — |
| ● | D. A. 5. | — | ● | D. F. 2 NB. | 5to |
| ⊙ | F. B. 3. | — | ⊙ | G. E. 2. | — |
| ● | p. H. 5. | — | ● | G. F. 4. | — |
| ⊙ | p. H. 3. | — | ⊙ | p E. 5 F. NB. | 6to |
| ● | p. H. 4. | ✠ | ● | D. E. 2. | ✠ |
| ⊙ | D. H. 2. | — | ⊙ | Schachmat. | — |
| ● | C. F 5. | — | | id eſt: | — |
| ⊙ | p. C. 3. | — | — | Rex albus jam | — |
| ● | p. G. 5. | — | — | abaco victus | — |
| ⊙ | B. A. 3. | — | — | & finis luſus | — |
| ● | p. B. 5. | | | eſt. | |

# NOTAMINA.

